PROP. VII. THEOR. V.

Si pro $e + fz^{\eta} + gz^{2\eta} +$ &c. ſcribatur R ut ſupra, & in Curvæ alicujus Ordinata $z^{\theta \pm \eta\sigma} R^{\lambda \pm \tau}$ maneant quantitates datæ θ, η, λ, e, f, g, &c. & pro σ ac τ ſcribantur ſucceſſive numeri quicunq; integri : & ſi detur area unius ex Curvis quæ per Ordinatas innumeras ſic prodeuntes deſignantur ſi Ordinatæ ſunt duorum nominum in vinculo radicis, vel ſi dentur areæ duarum ex Curvis ſi Ordinatæ ſunt trium nominum in vinculo radicis, vel areæ trium ex Curvis ſi Ordinatæ ſunt quatuor nominum in vinculo radicis, & ſic deinceps in infinitum : dico quod dabuntur areæ curvarum omnium. Pro nominibus hic habeo terminos omnes in vinculo radicis tam deficientes quam plenos quorum indices dignitatum ſunt in progreſſione arithmetica. Sic ordinata $\sqrt{a^4 - ax^3 + x^4}$ ob terminos duos inter a^4 & $-ax^3$ deficientes pro quinquinomio haberi debet. At $\sqrt{a^4 + x^4}$ binomium eſt & $\sqrt{a^4 + x^4 - \frac{x^8}{a^4}}$ trinonium, cum progreſſio jam per majores differentias procedat. Propoſitio vero ſic demonſtratur.

CAS. I.

Sunto Curvarum duarum Ordinatæ $pz^{\theta-1} R^{\lambda-1}$ & $qz^{\theta+\eta-1} R^{\lambda-1}$, & areæ pA & qB, exiſtente R quantitate trium nominum $e + fz^{\eta} + gz^{2\eta}$. Et cum per

Prop.